

æternitate, sicut etiam visio beata cognoscit intuitive futura in Verbo, licet ipsa visio non mensuretur æternitate ipsa essentiali, in qua futura coexistunt, sed æternitate participata, quæ est distincta mensura ab æternitate essentiali, cum sit mensura creata. Inde enim sumitur argumentum, quod si sufficit distincta mensura ex parte cognitionis ab ea, quæ est ex parte rei cognitæ ad intuitionem, nulla est ratio cur scientia infusa non possit videre futura secundum durationem, et coexistentiam in æternitate, licet cognitio ipsa mensuretur alia mensura creata inferiori ad æternitatem.

XIX. Et habet fundamentum hæc sententia in domino Cajetano hic articulo primo in calce solutionis secundi dubii, dum inquit: « Quod intuitive videt Christus per hanc scientiam res præteritas, et futuras, quia sunt species ejus exemplatæ a divina essentia, prout communicat rebus istis existentiam, et durationem. » Alii non reputant inconueniens, quod aliqua mensura præter æternitatem essentialem contineat secundum physicam coexistentiam ipsa futura, ita ut mediante tali mensura coexistat cognitio existentia rei futuræ, et hæc mensura est æternitas participata, qua cognoscuntur naturalimodo supernaturali, et secundum elevationem super omnem naturam creatam.

XX. Nihilominus tamquam verius tenendum est futura contingentia non attingi per hanc scientiam intuitive, supposita sententia a nobis approbata, quod requiratur coexistentia physica rei visæ cum ipsa visione, ut dicatur intuitiva, licet quantum ad perfectionem cognoscendi tam perfecta sit cognitio istorum futurorum, ac si intuitive viderentur. De hac conclusione videatur magister Medina hic articulo primo, et magister Cabrera disputa-

tione quarta. Itaque quantum ad claritatem, et certitudinem cognoscendi futura, eodem modo cognoscit illa anima Christi per hanc scientiam, quasi intuitive videret illa, solum vero deest illi modus intuitionis, qui pertinet ad coexistentiam physicam objecti visi. Sicut Deus tanta claritate, et certitudine videt per scientiam simplicis intelligentiæ res possibles, sicut per scientiam visionis res existentes, et tamen illa scientia non dicitur visionis sicut hæc, solum quia res possibles non coexistunt physice Deo, sicut res futuræ. Quod etiam est satis manifestum signum ad confirmandam sententiam supra indicatam, de distinctione inter notitiam intuitivam, et abstractivam, quod non distinguuntur specificè in ratione notitiæ, sed accidentaliter ratione alicujus quod est extra genus notitiæ si quidem eadem claritas, et certitudo potest esse in una atque in alia, differunt solum penes illum extrinsecum modum coexistentiæ physicae.

XXI. Probatur ergo hæc sententia, quia scientia infusa, neque ratione luminis, neque ratione specierum, quibus utitur habet coexistentiam physicam cum rebus, ut sunt in æternitate, sed solum respicit illas, ut in propria mensura futuras, vel præsentis; ergo solum respicit illas intuitive, quando sunt productæ, et existentes; abstractivæ vero quando sunt præteritæ, aut futuræ. Consequentia est certa, quia propria earum mensura non coexistit physice mensuræ hujus scientiæ, nisi quando de facto existit; ergo non induit modum requisitum ad notitiam intuitivam, quamdiu est in statu futuritionis, quia prout sic non habet coexistentiam physicam. Antecedens vero probatur, quia tam lumen scientiæ infusæ, quam species, quibus utitur, tendunt in ob-

jectum creatum, non ut continetur in Deo, sic enim attingitur a scientia beata, sed prout in se sunt aliquid extra Deum tamquam objectum primum, et immediatum; ergo tale lumen, et species prout sic attingunt objectum creatum, ut est in se extra Deum, non vero ut existit in æternitate. Consequentia probatur, quia non possunt videri res, ut coexistentes physice in æternitate, nisi ipsa æternitas videatur, quia si videntur ut existentes in aliqua duratione, ipsa duratio videri debet prout afficit tales res, et reddit illas actu durantes, et existentes; alioquin propria duratio non videtur, neque ipsæ videntur durare, sed abstrahunt a duratione, et existentia; ergo si scientia infusa non videt æternitatem, quia hæc est ipse Deus, non potest videre res durantes, et existentes in æternitate.

XXII. Nec sufficit cognoscere ex parte objecti, quod res existunt in æternitate, quasi quoad an est, quia ad notitiam intuitivam non sufficit cognoscere existentiam objectivam, sed quod cognoscatur res ut coexistens pro eadem duratione, qua durat cognitio: ergo si non attingitur ipsa æternitas in se ut reddens hanc rem coexistentem, non attingitur intuitive. Sicut etiam, si ex effectibus cognoscatur Deum esse trinum, qui non manifestatur mihi ipsa existentia Dei, prout reddit illum existentem, et coexistentem cognitioni meæ, non video illuminative.

XXIII. Confirmatur, quia mensura illius scientiæ infusæ, et specierum, quibus representantur ejus objecta, est mensura creata, et non ipsa essentialis æternitas; hæc enim solum est mensura propria, et adæquata entis increati, et infiniti omnino immutabilis. Cætera autem entia, quia creata sunt et mutationi alicui subjecta, necessario postulant mensuram cum aliqua duratione

mutabili: ergo in sua mensura non continent res futuras secundum coexistentiam physicam, quia nulla duratio creata, etiamsi sit perfectior alia, continet physice illam antequam sit in propria mensura, sicut ævum non continet tempus, alias Angelus in ævo suo videret omnes res futuras; sed omnis duratio, et mensura creata, hoc ipso quod est limitata et finita non coexistit alteri mensuræ, nisi quando illa est, non autem antequam sit. Cujus ratio est, quia ideo æternitas continet omnes mensuras, et durationes, etiam antequam in se existant, quia est omnino immutabilis, ita quod non potest aliquam successionem habere, etiam in mensurando; et ex alia parte est mensura ita eminens, quod continet omnes inferiores tamquam causa illarum, et quæ vere mensurat res omnes interiores, tamquam mensura inadæquata et superior. Quæ conditiones deficiunt in quacumque mensura creata, nam nulla earum quantumcumque superior, est causa inferiorum durationum, neque continet illas, nec est omnino immutabilis, etiam in mensurando, et coexistendo, ita ut nullam omnino successionem admittere possint. Quare non est aliquod principium unde attribuamus alicui mensuræ creatæ perfectionem ita arduam, et difficilem explicatu, sicut continere immutabiliter, et physice omnes mensuras, et durationes inferiores, etiam antequam sint in se, quod vix in æternitate propter summam ejus immutabilitatem, et infinitam comprehensionem in mensurando, possumus intelligere; quanto magis in aliis mensuris limitatis, qualis est illa, qua mensuratur cognitio scientiæ infusæ.

XXIV. Et si dicas: Quomodo ergo visio beatifica intuitive videt futura, cum ipsa visio sit creata, et mensuretur mensura quadam, quæ voca-

tur æternitas participata, respondetur, quod visio beatifica utitur specie mensurata ipsa æternitate, quæ est essentia divina, et ipsam æternitatem videt clare in se; unde consequenter attingere potest futura, ut mensurata tali duratione æternitatis, quam videt, et qua mensuratur species, qua videt solum essentiam divinam.

XXV. Quod si instes: Per scientiam infusam videtur existentia rerum futurarum, et non sola quidditas; nec videtur existentia per modum rei, et in actu signato; sic enim videretur per modum quidditatis; ergo nihil ei deest ut videatur intuitive, si quidem videtur res illa, ut existentia exercita, et non signata. Quod autem existentia illa sit futura, parum interest, dummodo videatur ut existens, et res ut vestita duratione; nam etiam Deus videt rem esse futuram respectu propriæ mensuræ, et tamen intuitive illam videt.

XXVI. Respondetur, quod res videtur, ut existens existentia adhuc absenti, et non præsentem secundum coexistentiam physicam: ad intuitivam autem cognitionem non sufficit cognoscere rem existentem, sed etiam præsentem, non quidem præsentia objectiva, qua etiam res non existentes, et absentes, præsentem fiunt personæ, sed præsentia reali. Res autem futura, licet videatur ut existens pro aliqua duratione, illa tamen duratio videtur ut absens, et non ut præsens, unde licet cognoscat rem, nondum experitur illam: intuitiva autem notitia est quasi notitia experimentalis, sicut Angelus videt demonstrative eclipsim futuram, et nondum experitur illam, intuetur, inquam, quamdiu futura est, quia non habet experimentum illius, nec præsentiam realem.

XXVII. Nec obstat, quod species illæ scientiæ infusæ sint exempla-

tæ ab essentia divina, unde possunt tantam perfectionem participare, quod repræsentent res futuras, sicut repræsentantur in essentia divina, scilicet cum experientia, quæ ad intuitionem sufficit, et ita determinate, ac distincte, sicut per experimentalem scientiam cognoscuntur. Cur ergo non poterit intuitive videre per illas res futuras sub statu futuritionis.

XXVIII. Respondetur, quod species illæ, ex eo quod sint exemplatæ a divina essentia cum summa illa perfectione, habent repræsentare rem, et durationem ejus, ac futuritionem determinate, et non sub indifferentia, et contingentia, sicut species angelicæ, sed tamen deficiunt a suo exemplari in hoc, quod non mensurantur ipsa æternitate secundum se, ita quod contineant physice mensuram rei futuræ, et ex hac parte deficiunt a ratione intuitionis, ad quam requiritur commensuratio cum existentia, et duratione rei cognitæ. In hoc enim impossibile est species exemplatas a divina essentia adæquari ipsi exemplari, ita quod habeant eandem durationem, et mensuram, ita continentem et immutabiliter mensurantem res futuras, sicut æternitas ipsa.

XXIX. Quod attinet autem ad distinctionem, ac determinationem cognitionis, habent tantam certitudinem, et claritatem, sicut si intuitive viderentur futura, quæ certitudo, et claritas pendet ex lumine, et repræsentatione, non ex coexistentia physica objecti. Sicut etiam Deus ita clare cognoscit res possibles, atque futuras, et tamen illas abstractivè, istas intuitive videt.

QUID DE CHRISTO UT PROPHETA.

XXX. Restat explicare, quomodo per istam cognitionem futurorum

possit Christus Dominus dici propheta, de quo egit D. Thomas supra quæstione VII, articulo VII, et remissimus ad hunc locum, quia ex his, quæ dicuntur de cognitione futurorum per scientiam infusam, manifeste pendet. Communiter ergo expositores D. Thomæ tenent Christum Dominum vere, et proprie fuisse prophetam contra Abulensem, qui id negavit in capite XI Numerorum, quæstione LXIV, constat enim in Scriptura Christum simpliciter appellari prophetam, Deuteronomio XVII: *Prophetam sicut me suscitavit sibi Dominus*, qui locus de Christo Domino explicatur Actor. IX et VII: et ipse Dominus de se dixit Lucæ IV: *Non est propheta sine honore nisi patria sua*: et Lucæ VII: *Propheta magnus surrexit in nobis*. Quæ omnia sancti patres explicant communiter de vera, et propria prophetia, neque est aliquod inconueniens ut id negemus, aut in proprios sensus divertamus verba sanctæ Scripturæ. Nec verum est prophetiam exigere cognitionem obscuram, nec etiam denecessitate exigere ænigmaticam, aut imaginariam visionem, cum sint plures gradus prophetiæ; quædam enim imaginaria est, et fit secundum visiones factas in imaginatione, et in hac magis proprie, et usualiter invenitur prophetia. Quædam est intellectualis, quæ veritatem ipsam intelligibilem, absque imaginaria visione contemplatur: de qua distincte videri potest S. Thomas 2-2, quæst. CLXXIV, art. II et III, unde ad intellectualem prophetiam, ænigmatica visio, quæ secundum imaginariam visionem fit, non requiritur; ipsa etiam prophetia secundum se exigit ex parte iudicii firmitatem omnimodam, quod revelatio sit a Deo, et fortassis etiam habet aliquam evidentiam in attestante, ut Cajetanus sentit 2-2, quæst. CLXXI, articulo V.

XXXI. Ex parte autem specierum requirit, vel novam earum infusionem, vel saltem ordinationem talem, quod in eis repræsentetur id quod ipsis revelatur, et tamquam in imagine quadam, aut speculo præsens ipsis fiat secundum visionem imaginariam; de quo videatur D. Thomas loco citato quæstionis CLXI, articulo II, quod si iudicium prophetiæ non detur per revelationem, sed per evidens lumen supernaturale, tanto perfectius, et melius salvatur ratio prophetiæ.

XXXII. Cæterum cum ad rationem prophetiæ requiratur, quod res cognita sit procul a cognoscente, quia de his, quæ præsentia sunt nemo dicitur prophetare, restat videndum, quomodo salvetur ista conditio in prophetia Christi. Potest tamen dupliciter salvari, uno modo ratione cognitionis, quia scilicet datur in Christo Domino aliqua cognitio respectu cuius res dictæ sunt procul; alio modo ratione status, quia licet omnia Christo sint præsentia, quia beatus erat, tamen adjuncto statu viatoris, illam et cognitio beata, aut etiam infusa accipiebat denominationem prophetiæ, quatenus res illæ de quibus prophetabat erant procul ratione status, et eorum cum quibus pro illo statu degebat, et si non essent procul ratione cognitionis. Utrumque autem modum prophetiæ in Christo salvare possumus, juxta litteram D. Thomæ supra quæstione VII, art. VIII, solutione ad primum, ut in explicatione dictæ solutionis significat dominus Cajetanus.

XXXIII. Duas enim solutiones ponit ibi S. Thomas, seu insinuat. Prima, quod licet non haberet Christus Dominus aliam cognitionem, quam comprehensoris, tamen illa sufficit ad denominandum prophetam adjuncto statu viatoris, tamquam conditione necessario requisita, et tunc

non dicitur cognitio ipsa prophetica, sed cognoscens dicitur propheta, quia cognitio illa clara, et aperta, nec procul distans a rebus cognitis est in subjecto habente statum viatoris perfectum, qui status procul est a rebus ipsis, et ideo quasi extrinsece dicitur esse procul, non intrinsece, scilicet ratione status subjecti, non ratione cognitionis, et sic cognitio cum tali statu denominat prophetam extrinsece, id est, ratione status extrinsece adjuncti, et ex parte subjecti se tenente: hac enim conditione extrinseca adjuncta ipsa cognitio comprehensoris, sive sit scientia beata, sive infusa (utraque enim invenitur in statu comprehensoris) prophetam denominat, licet in se intrinsece non sit cognitio prophetalis, sed cognitio cum conditione status prophetici. Et quando S. Thomas docet non convenire beatis gradum aliquem prophetiæ, 2-2, quæstione cxxxiv, articulo v, loquitur de visione beatifica in statu beatifico, non in statu viatoris.

XXXIV. Secunda solutio, quam insinuat D. Thomas est, quod fuerit in Christo Domino cognitio prophetica intrinsece, et essentialiter, quatenus in parte imaginativa formabantur similitudines prophetiæ, quibus speculari poterat divina: ubi intellige, quod cum duo concurrant ad prophetiam præsertim imaginariam, alterum ex parte intellectus, quod pertinet ad iudicium, quod propheta format de rebus revelatis; alterum ex parte imaginationis quantum ad similitudines imaginarias, quibus res revelatæ involvuntur, in Christo Domino non fuit lumen propheticum ex parte intellectus quantum ad iudicium, quia lumen illud intellectus, quo ferebat iudicium de rebus revelatis, erat per se independens a phantasmatis, et consequenter pertinebat solum ad scientiam infusam, vel beatam,

non autem ad aliquod tertium lumen prophetale, quod vel testimonio dicentis inniteretur, vel a repræsentatione phantasmatum dependeret. Ex parte autem similitudinum partis imaginativæ, ad quas poterat se convertere Christus, si volebat, formabantur similitudines prophetiæ, in quibus speculari poterat divina, et talis speculatio dicitur intrinsece prophetia, non ex parte iudicii, sed ex parte imaginariæ repræsentationis, unde sequitur, quod in ipso iudicio nullam obscuritatem, vel imperfectionem habeat prophetia in Christo; ex parte autem imaginationis, habet communem imperfectionem cognoscendi per phantasmata, quæ naturam humanam consequitur.

XXXV. Sed tunc restat duplex difficultas. Prima, quia non est de ratione prophetiæ illa conjunctio ad imagines sensibiles, si quidem supremus gradus est prophetiæ intellectualis, quæ divinas veritates speculatur sine visione imaginaria, ut S. Thomas docet 2-2, quæstione clxxiv, articulo iii: ergo cum in Christo debeat poni summus gradus prophetiæ, non oportet, quod per ordinem ad imaginarias similitudines sumatur in eo ratio prophetiæ. Secunda, quia si sufficit conversio ad formas imaginarias, ut dicatur cognitio intrinsece prophetia, sequitur, quod modo Christus Dominus in statu beatifico sit propheta, et similiter post resurrectionem aliqui beati, si quidem formant phantasmata, et imaginarias similitudines, in quibus speculari possunt divina, et tamen in illo statu non datur aliqua prophetia, dicente Paulo i Corinth. xxiii: *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXXVI. Ad primum respondetur, quod conjunctio ad imagines sensibiles cum dependentia ab ipsis in formando iudicio importat imperfectionem in cognitione prophetica; si autem formetur iudicium intellectuale per lumen de se independens ab istis sensibilibus, tamen utens illis, quia vult, et quando vult accomodando se connaturali modo cognoscendi in hac vita, nihil derogat de perfectione cognitionis, nec reddit illam intrinsece ænigmaticam, id est, dependentem ab ænigmate, sed superiorem ænigmate, et illo utens ad libitum, tamquam sibi ministrante, sicut potest uti scientia infusa discursu, et phantasmate, ut sanctus doctor docet hic articulo ii et iii. Et sic illa prophetia Christi simpliciter est intellectualis, quia ex parte iudicii, et luminis est independens ab imaginaria visione; habet tamen multum imaginariæ prophetiæ, quatenus utitur similitudinibus imaginativæ, quod imperfectionem non importat.

XXXVII. Ad secundum dicitur, quod in statu beatifico post resurrectionem non utentur beati formis imaginariis eo modo, quo in statu viæ, quia tunc repræsentabuntur sensibilia; non ut deserviant discursivæ cognitioni qua divina, quasi in speculo videmus ex effectibus abstractivæ colligendo, sed repræsentabuntur corporalia quatenus conjunguntur intellectui intuenti in illis præsentiam divinam, sicut dicit S. Thomas prima parte, quæst. xii, artic. iii ad secundum, quam statim visis corporibus divina præsentia ex eis cognoscetur per intellectum: unde in statu beatifico, quia phantasmata non deserviant abstractivæ cognitioni divinatorum, sed solum

conjunguntur intuitivæ, non deserviant ad formandas similitudines propheticas, quæ sunt procul a divinis. Quia tamen in Christo pro statu viæ formabantur phantasmata, ut deserviant viatoribus ad speculandum divina, quasi abstractivæ et in speculo, ideo similitudines imaginariæ in Christo viatore deserviebant cognitioni prophetiæ.

ARTICULUS III.

Utrum res naturales per hanc scientiam cognoscuntur?

I. Tribui solet Scoto et Durando in iii, dist. xiv, quod negaverint Christum cognoscere per hanc scientiam res naturales, non quia eas exemerint a cognitione scientiæ infusæ, sed quia non distinxerunt scientiam infusam ab acquisita quantum ad cognitionem rerum naturalium, existimantes scientiam solum dici infusam ratione causæ efficientis, quia est infusa ut est producta a Deo: non ex parte rationis formalis, quasi sub alia ratione cognoscat scientia infusa, quam acquisita. Et quod scientia infusa non cognoscat res naturales per se loquendo, in eo fundari videtur, quia scientia per se infusa non convenit animæ, secundum potentiam naturalem, sed secundum obedientialem, quia ipsa in se supernaturalis est quoad substantiam, et sic non potest convenire intellectui secundum naturalem potentiam: ad cognoscendas autem res naturales intellectus est in potentia naturali, cum sint objecta sibi proportionata; ergo non indiget scientia quæ sit per se infusa, et quantum ad substantiam, et rationem formalem cognoscendi.

II. Quod si dicatur, res naturales